



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XXXI. Philonis Senioris,

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

dæus cum Phalereo: nam conjungitur illie cum Philone Seniore, & Eupolemo, qui Judæi fuerunt; quemadmodum ab Hieronymo quoque cum Eupolemo & Aristobulo confociatur, & à Clemente Alexandrino cum Philone seniore. Cum ergo Demetrium Judæum illi significaverint, idem videtur à Josepho significari debuisse.

XXIX. Cleodemum præterea, qui & Malchus dictus est, laudat Alexander idem Polyhistor, apud Josephum. Prophetam quoque appellat, & juxta Mosis narrationem historiam Judæorum elaborasse ait: tum subjicit ejus fragmentum de liberis Abrahami, ex Chætura natis.

XXX. Theodoti quoque auctoritate se tuetur Alexander Polyhistor, & ex ejus libro de Judæis particulas depromit versa oratione scriptas: unde librum hunc non aliud fuisse colligas, quam Mosaicæ historiæ metricam expositionem. Narrantur illic, Jacobi in Mesopotamiam ad Labanem profectio, duplex ibi cum Lia & Rachele conjugium, undecim marium liberorum, & puellæ unius procreatio; reditus Jacobi ad suos, Dinæ stuprum, Sichemo ac Sichemitis illatus à Symeone, & Levi, reliquisque Dinæ fratribus interitus. Quibus demum Josephi casus subjuncti erant. Atque ea penitus ad mentem Mosis, neque ulla re discrepantia. Plane is ipse est, quem Josephus primo contra Apionem Judæorum meminisse ait à περιόρως. Eundem esse qui res Phœnicum Phœnicia lingua profecutus est, & Sanchoniathonis continuavit historiam, quique Græce à Lato redditus est, ut extat apud Tatianum, viri graves & eruditi affirmarunt. Ego vero vix credere ausim tantum in Phœnicia & Græcæ linguæ facultate potuisse, ut geminam historiam utraque lingua conderet. Et vero præter nominis similitudinem nulla causa est, cur id sibi persuadeat quisquam.

XXXI. Laudat & Philonem Seniore Alexander Polyhistor. De regibus Judæorum scripsisse illum, & alia ac Demetrium de iis sensisse testis est Clemens Alexandrinus. Citantur à Polyhistore apud Eusebium libri ejus de Hierosolymis, ex iisque nonnulla depromuntur fragmenta, numeris poeticis adstricta, quibus Abrahamus, Isaacus, Jacobus, & Josephus celebrantur. Sive autem is auctor est libri Sapientiæ, qui Salomonis nomen præfert, quod nonnullis Scriptorum veterum persuasum fuisse affirmat Hieronymus; sive eum collegit solum & descripsit, quod communi sententiæ magis est consentaneum; sive liberiori interpretatione exposuit, quod mihi videtur probabilis, Mosis libros compilasse credi potest, & multa in hunc librum transtulisse. Judæum fuisse notat Hieronymus. Unde erroris manifestus est Josephus, qui in Græcorum seriem conjecit, & Codicem sacrum legere ipsum non potuisse ait: vel ita certe exponendus est Josephus, uti exposuimus supra, cum de Eupolemo ageremus; nempe cum esset Ebraicæ linguæ imperitus Philo, Ebraico exemplari uti non potuisse.

XXXII. Fuit æqualis Ptolemæi Lathyri sæpe jam laudatus Alexander Polyhistor, qui non plurimas solum Mosaicæ Historiæ partes è vetustis auctoribus excerptas Commentariis suis complexus est, velut ex Beroso cosmogoniam, figmentis licet deformatam, & Diluvii, ac Arcæ Noachi in Armenios montes delatæ, & avium ad explorandam aquæ altitudinem emissarum historiam: ex Eupolemo vero, Artapano, Cleodemo, & Demetrio, turris Babylonicæ ædificationem, Abrahami ex Ur Chaldæorum profectionem in Phœniciam, è Phœnicia in Ægyptum, famis tolerandæ causa, Pharaonis amorem adversus Saraïam, Abrahami victoriam ex Loti hostibus, oblata ei à Melchisedeco dona; liberos ejus ex libera & ex ancilla susceptos, ex priore nempe Isaacum, quem Risum nominat (quippe id sonat vox Isaac,) inchoatum Isaaci, non consummatum sacrificium; alios etiam ex Chætura genitos liberos; tum deinde accuratam Jacobi, & liberorum ac nepotum ejus historiam, ad Mosem usque & Aaronem; Chamii etiam, Chanaani, Mesraimi, Enochii quoque & Mathusalæ mentionem; postmodum stuprum Dinæ, & Sichemi interitum ex Theodoto: sed Mosis etiam Judaicæ Legis latoris res gestas, Mosemque ipsum, ut antiquum Judæorum ducem laudat. Quæ cum ita sint, comminisci sane non possum, quo auctore, quave ratione scripserit, Judæorum Legem opus esse Ebraicæ mulieris, cui nomen Mose. Quamquam & sexum utrumque ab exoticis Scriptoribus Mose tributum fuisse infra ostendimus.

XXXIII. Apollonio Molonis gravem impingit calumniæ ac sycophantiæ dicam Josephus, quod leges à Mose sancitas, Mosemque adeo ipsum fictis criminibus, & probris vexarit. Errorem quoque ejus notat in assignando tempore exitus Judæorum ex Ægypto; & diluit demum oblatas ab eo adversus Judæos criminationes, quod alienos ritus, & falsas reliquarum gentium de Deo opiniones repudiarent. Apollonium Molonis dixi, non, ut Josephus ipse eum appellat, Apollonium Molonem: qua re Apollonium Molonis, qui μεγαλός dictus est, cum Molone perperam con-

contr. Apion.
Hier. De script.
Ecl. in Cle-
ment. Alex.
Clem. Alex.
Strom. 1.
Cleodemi.
Joseph. Antiq.
libr. 1. cap. 16.

Theodoti;

Tatian. Orat.
contr. gent.
Voss. De Hist.
Gr. 1. 3. Boch.
Chart. 1. a. c. 17.

Philonis Se-
nioris,
Clem. Alex.
Strom. 1. Euf.
Præp. Evang. 1.
9. c. 20, & 24.

Hier. Præf. in
libr. Salom.

Hier. Præf. in
libr. Salom.
Joseph. libr. 1.
contra Apion.

Alexandri
Polyhistoris.

Apollonii
Molonis.

Jos. 1. contr.
Apion.